



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola V. Ioannis Papae VIII. Ad Neapolitanorum duce eius fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, vt ab eo se separet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

officii ministerium, vt vnquam nullis præfideat, ei perpetuo adimemus. Data, &c. indictione decima.

EPISTOLA V.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

De Neapolitanorum duce eius fratre queritur, qui suis monitis non parebat. Quare hortatur, vt ab eo se feparet; alioquin cum eo ac ceteris fautoribus anathemati subiicietur.

*Ioannes episcopus \**

\* Forte Athanasio episcopo Neapolitano, ad quem nonnullæ infra scribuntur epistolæ: cuius meminit Leo Ostiensis, li. i. chrō. Caff. c. 42. Fuit autem hic nepos & successor sancti Athanasii, cuius mētio est in martyrol. Rom. die 15. Iulii.

**M**VLTA per nos per decessoresque nostros reuerendos pontifices duci Neapolitanorum, imo duci cæcorum, missis & epistolis discurrentibus dicta sunt, quæ locum in eius corde nullum penitus inuenerunt: quia profecto viscera ipsius verba vitæ æternæ recipere renuerunt. Iudæis enim Dominus dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit: ergo probatio dilectionis, exhibitio est operis. Probatur igitur germanus tuus non diligere Deum, qui mandata eius participando cum perfidis non custodit. Nam Ioannes apostolus ait: Qui dicit quia diligit Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Sed nos postremo, nec etiam sic contempti, quæ ad salutem eius & cunctorum pertinebant, negleximus: vnde non angelus, non legatus quilibet, (vt de Redemptore nostro prophetice dictum est) sed ad saluandos eos ipse per semetipsum apostolatus noster adueniens, quid est quod debuit facere, & non fecit? licet ipse, vt cum propheta dicamus, conuersus est in amaritudinem vitis alienæ, & sicut aspides surdæ, & obturantes aures suas, non audierit vocem incantantium, id est prædicantium, nec mutauerit versutiarum suarum colorē, aut varietatem, instar Æthiopis & Pardi, quibus perfidorum Israelitarum Ieremias duritiam comparauit, vnde merito abscissi sunt, vt de talibus Apostolus optat: *Abscindantur, inquit, qui vos conturbant, a Christo*, id est a capite & corpore, quod est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ergo cum ita sit, prudentia tua moueri non debet, si inter tales officium cesset doctorum, siue torpenti desidia faciente re-*

Ioan. 8.

Ioan. 14.

1. Ioan. 2.

Isai. 5.

Psal. 57.

Galat. 5.

etorum, siue impœnitenti exigente crimine subiectorum.  
 Diuino enim iudicio, quamuis occulto, talia fiunt, sicut  
*Job 12.* in libro B. Job legitur, cum de Deo inter alia fertur: *Ducit*  
*sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, commutans labium*  
*veracium, & doctrinam senum auferens:* cuius sensus medul-  
 la concepta, procul dubio scito quia in optionem vnum e  
 duobus a nobis tibi tribuitur: aut enim (secundum quod  
*Isai. 52.* scriptum est) *Exiens exibis de medio ipsorum, & pollutum non*  
*tanges;* aut certe, quamdiu cum talibus conuersatus fue-  
 ris, non poteris videri non talis, sed eris profecto illis pœ-  
 na, sicut consortio similis. Nam Loth chaos Sodomis fu-  
 giens, cunctis necatis ciuibus, saluus singulariter redditur.  
*Genes. 19.* Sic Petrus fugiens, Herodis catenis ereptus, ad saluandas  
*Actor. 12.* gentes eruitur. Sic Paulus, obseruante Damasci praposo-  
*Actor. 9.* sito, teneri intra claustra perfidorum noluit, in sporta per  
 murum summissus, ad certaminis properat campum. Ve-  
*Exech. 3.* rumtamen ne sanguis eorum de manibus tuis diuinitus re-  
 quiratur, tamquam segnis defidisque speculatoris, qui vi-  
*2. Tim. 4.* deas gladium lupumque venientem, & taceas: *Insta in-*  
*1. Tim. 4.* *terim (vt Apostolus monet) opportune, importune: obsecra,*  
*inrepa: nemo adolescentiam tuam contemnat.* Qui si te audie-  
 rint, lucrifacies fratres tuos: sin autem, saltem tu saluans  
 salua quantocius animam tuam, sciens procul dubio totius  
 Hesperix præfules a nobis in proximo congregandos. Qui-  
 bus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo, quã  
 omnibus sectatoribus & fautoribus eius perpetuum dice-  
 mus modis omnibus anathema, nunquam deinceps peni-  
 tus dissoluendum: quod si euadere fatagis, in nostrique  
 affectus finibus inueniri, in nullo prorsus ab hoc nostro  
 recedere præcepto patere vel hortatu. Gratias præterea  
 referimus super his, qui per industriam tuam redempti  
 sunt a Domino, quos redemit de manibus inimici: & scito  
 nil te nobis acceptius oblatum, quam eos nimirum,  
 pro quibus sanguis oblatum est Christi. Data quinto Idus  
 Septembris, indictione decima.